Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Et ille. Nunquid septuagies septies te fatigavi? Si hac perceptione seve-
ritas disciplinae dormiat. Repressa disciplina, saevit inpunita
nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus verbis et si opus est verberibus.
sed delictum dimittamus, culpam de corde abiciamus. Ideo enim dominus sub-
didit de cordibus vestris. ut si per caritatem imponitur disciplina. de cor-
de lenitas non recedat. Quid enim tam pium quam medicus ferens ferramen-
tum? Plorat secandus et secatur. plorat urendus et uritur. Non est
illa crudelitas. absit ut saevitia medici dicatur. Saevit in vulnus ut
homo sanetur. quia si vulnus palpetur homo perditur. Sic ergo ista moneri
fratres mei. ut fratres nostros qui peccaverint omnino diligamus, de corde
nostro caritatem in eos non dimittamus. et disciplinam cum opus est demus. ne per
solutionem disciplinae crescat nequitia. et incipiamus propter deum accu-
sari. quia recitatum est nobis. Peccantes coram omnibus corripe ut ceteri
timorem habeant. Certe si quis quod solum verum est distinguit tempora.
et solvit quaestionem. verum est. Si peccatum in secreto est. in secreto corripe.
si peccatum publicum est et apertum publice corripe. ut et ille emendetur
et ceteri timeant. Item unde supra. Si peccaverit in te frater tuus. et ysa
.XVI. Admonet nos dominus noster. Salomone. Qui arguit palam pacem facit.
non neglegere invicem peccata nostra non quaerendo quid reprehendas. sed vi-
dendo quid corrigas. Sic quippe dixit acutum oculum ad eiciendam festucam
de oculo fratris sui qui trabem in oculo suo non habet. Quid autem hoc sit. bre-
viter insinuo caritati vestrae. Festuca in oculo ira est. Trabes in oculo
odium est. Quando ergo qui odit reprehendit irascentem. festucam vult de ocu-
lo fratris tollere. sed trabe impeditur quam ipse portat in oculo suo. Festu-
ca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur prius festuca est. Rigando fes-
Nota bene. tucam perducis ad trabem. alendo iram malis suspicionibus perducis ad odium.
Multum autem interest inter peccatum irascentis et crudelitatem odio ha-
bentis. Nam et filiis nostris irascimur, odisse filios quis invenitur? Inter ipsis
quoque pecoribus mater aliquando bucula sugentem vitulum tedio quodam